

Die 15 iunii  
Ss. Viti, Modesti  
atque Crescentiæ Mm.  
*Commemoratio*

Ant. ad Introitum Ps. 33, 20-21

**M**ultæ tribulatiōnes iustórum,<sup>2789</sup>  
et de his ómnibus liberávit  
eos Dóminus: Dóminus cu-  
stodít ómnia ossa eórum: unum ex his  
non conterétur. Ps. ibid., 2 Benedícām  
Dóminum in omni témpore: semper  
laus eius in ore meo. **V.** Glória Patri.

Oratio

**D**a Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómi-<sup>2790</sup>  
ne, sanctis Martýribus tuis Vito,  
Modésto atque Crescéntia intercedén-  
tibus, supérbe non sápere, sed tibi plá-  
cita humilitáte proficere: ut, prava de-  
spíciens, quæcúmque recta sunt, líbe-  
ra exérceat caritáte. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 3, 1-8

**I**ustórum ánimæ in manu Dei sunt, et <sup>2791</sup>  
non tanget illos torméntum mortis.  
Visi sunt óculis insipiéntium mori: et  
æstimáta est afflíctio éxitus illórum: et  
quod a nobis est iter, extermínium: illi  
autem sunt in pace. Et si coram homí-  
nibus torménta passi sunt, spes illórum  
immortalitaté plena est. In paucis vexá-  
ti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos  
dignos se. Tamquam aurum in forná-  
ce probávit illos, et quasi holocáusti  
hóstiam accépit illos, et in témpore  
erit respéctus illórum. Fulgébunt iusti,  
et tamquam scintillæ in arundinéto  
discúrrent. Iudicábunt natiónes, et do-  
minabúntur pópolis, et regnábit Dó-  
minus illórum in perpétuum.

Graduale

Ps. 149, 5 et 1  
Exsultábunt Sancti in glória: læta-  
búntur in cubílibus suis. **V.** Cantáte  
Dómino cáanticum novum: laus eius in  
ecclésia sanctórum.

**2793** Allelúia, allelúia. **V.** Ps. 144, 10-11  
Sancti tui, Dómine, benedíc te: gló-  
riam regni tui dicent. Allelúia.

 Sequéntia sancti Evangélii secún-  
dum Lucam. **Luc. 10, 16-20**

**2794** **I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis  
suis: Qui vos audit, me audit: et  
qui vos spernit, me spernit. Qui autem  
me spernit, spernit eum qui misit me.  
Revérsi sunt autem septuagínta duo  
cum gáudio, dicéntes: Dómine, étiam  
dæmónia subiciúntur nobis in nómine  
tuo. Et ait illis: Vidébam sátanam sic-  
ut fulgur de cælo cadéntem. Ecce dedi  
vobis potestátem calcándi supra ser-  
péntes et scorpiónes, et super omnem  
virtútum inimíci: et nihil vobis nocé-  
bit. Verúmtamen in hoc nolíte gaudé-  
re, quia spíritus vobis subiciúntur:  
gaudéte autem, quod nómina vestra  
scripta sunt in cælis.

Ant. ad Offertorium

Ps. 67, 36  
**2795** Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus  
Israël ipse dabit virtútem et fortitú-  
dinem plebi suæ: benedictus Deus.

Secreta

**2796** **S**icut glóriam divínæ poténtiæ mú-  
nera pro Sanctis obláta testántur:  
sic nobis efféctum, Dómine, tuæ salva-  
tiónis impéndant. Per Dóminum.

Antiphona ad Communionem

**2797** Sap. 3, 1-2 et 3 Iustórum ánimæ in ma-  
nu Dei sunt, et non tanget illos torméntum  
malitiæ: visi sunt óculis insipiéntium  
mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio

**R**epléti, Dómine, benedictióne so-<sup>2798</sup>  
lémni: quæsumus; ut, per inter-  
cessiōnem sanctórum Mártirum tuó-  
rum Viti, Modésti et Crescéntiæ, me-  
dicína sacraménti et corpóribus nostris  
prosit et méntibus. Per Dóminum no-  
strum Iesum Christum, Fílium tuum:  
Qui tecum vivit et regnat in unitáte.